

LIBER QUINTUS,

AUCTORE GAUFRIDO MONACHO CLARÆ-VALLENSI.

CAPUT PRIMUM.

De pace inter civitatem Metensem et vicinos quosdam principes opera beati Bernardi reformata; editisque ea occasione miraculis.

1. Cum post tantos et tam multos jam labores ac sudores Dominus dilecto suo Bernardo Claræ-Vallensi abbati diu desideratum pretiosæ mortis somnum dare diserneret, et fidelem servum in requiem introducere suam; cœpit magis ac magis promptus in ipso proficere spiritus, et caro infirma deficere. Cognoscens enim Vir sanctus prope esse jam bravium, solito currebat alacrius, et terrestri suæ habitationis dissolutionem sentiens imminere, votis uberius aspirabat ad habitationem ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis. In cuius purissimo pectore sacri sese desiderii flamma non capiens, crebris erumpebat indicis, et ignitum eloquium vehementer fervoris interni vehementiam declarabat, sicut in sanctis animalibus per prophetam inter cætera describuntur *scintillæ quasi aspectus æris candentis* (Ezech. 1, 7). Corpus lectulo decubans variis exercebatur incommodis: animus tamen nihilominus liber et potens, quæ Dei erant exercebat invictus, non cessans in mediis quoque doloribus meditari sacrum aliquid aut dictare, orare affectuosius, fratres studiosius exhortari. In oblatione Hostiæ salutaris, quam usque ad defectum ultimum vix aliquando intermisit, artus sibi vix cohærentes vigore spiritus sustentabat, semetipsum pariter offerens acceptabilem hostiam Deo in odorem suavitatis. Quo tempore ad avunculum suum Andream militem Templi, qui et regionis Jerosolymitanæ maxima **1151** columna habebatur, epistolam scribens inter cætera ait: « Ego enim delibor, nec puto me longum facere super terram (Epist. 288).

2. [In illis diebus causa exstitit, fratrum aliquis in remotas Germaniæ partes pro quibusdam mitteretur agendis. Et missus est frater Henricus monachus, quem ante sex annos de Constantiensis diocesis partibus cum pluribus aliis idem pater sanctus adduxerat. Hic ergo dum mitteretur, longioris itineris pericula timens (nimirum hiems erat), illud tamen maxime verebatur, ne contingeret, ut idem pater sanctus, priusquam ipse rediret, ab hac vita migraret, et absens ipse benedictionis extremæ participio fraudaretur. At ille benedicens ei, et dicens, « Ne timeas, et incolumis reverteris, et me quoque sicut desideras, invenies; » consolatum illum emisit. Profectus idem frater, in territorio Argentinensium astrictum glacie fluvium

A pertransibat. Tum subito fracta glacie sub pedibus muli, quo vehebatur, corruit, et sub glaciem vehemens illum unda trahebat. Quid faceret mersus flumine, glacie clausus? Recordatus est Patris sui, recordatus est promissionis ejus, quæ inanis esse non potuit. Continuo siquidem, ut hodie quoque fatetur, Patrem sanctum sibi visus est habere præsentem: tantaque suavitate perfusus est, ut nec impetum amnis, nec molestiam frigoris, nec spirandi difficultatem, nec ullum denique incommodum sentiret aut metum. Nec mora, contra fluminis impetum sine suo conatu divina virtute reductus, ad ipsum, per quod ante ceciderat, foramen se reperit, marginem arripit, exit intrepidus, illæsus evadit, expleto negotio redit incolumis, et fidei promissione, sicut ipse promisit, inventa, multiplices gratias agit: ad sacrum cuius tumulum tam devotus hodieque persistit, quam certus est ejus sese meritis, velut de tumulo, et quidem satis horribili, revocatum. Sed non est nobis super hoc declamandum. Alii antiqua miracula conferant: nec minus hunc mirabiliter, quam beati Benedicti puerum Placidum, nec minori asserent a periculo liberatum; qui etiam, si viderent quem astrictus glacie reddidit fluvius, ei compararent, quem evomuit cæcus: nobis sufficit brevis et pura narratio.]

C 3. Cum adhuc Pater sanctus in suo Claræ-Vallensi cœnobio, licet lectulo decubans, cursum vitæ viriliter consummaret, gravis admodum plaga Metensi populo supervenit. Egressi enim in multitudine gravi adversus vicinos principes, a quibus præter morem lacessitam se esse tanta civitas indignabatur, traditi sunt multi in manus paucissimorum. Conclusi denique inter Frigidi-Montis (sic enim eum appellant) et Mosellæ amnis angustias, ac mutuo sese impetu collidentes, una hora, sicut dicebatur, plus quam duo millia corruerunt, quidam gladiis trucidati, plures amne submersi. Vehementi igitur indignatione concepta, nobilis illa civitas totis ad ultionem viribus parabat, cum e regione adversarios quoque et fortiores præda copiosa, et audaciores fecisset eventus. Imminebat totius provinciæ certa vastatio, cum venerabilis eorum metropolitani Illinus archiepiscopus Treverensis, dolens anxie de præteritis, sed adhuc graviora formidans, et dignam gerens suorum sollicitudinem filiorum, unicum in tanta necessitate petiit refugium, et expetiit Virum Dei. Veniens ergo Claram-Vallem, ipsius atque omnium fratrum vestigiis tota humilitate prostratus, rogabat et obsecrabat, ut se tantis dignaretur opponere malis, quibus alter nemo

posse modum ponere videretur. Dominus autem, sicut semper fidelis servi sui direxerat vias, et in præcipuis quibusque causis aptissimo usus fuerat instrumento, ex paucis ante diebus ægritudinem corporis ejus aliquatenus relevarat. Quibus diebus cum ad litteras venerabilis Hugonis Ostensis episcopi rescriberet, ait: « Verum est quod audistis. Infirmatus sum usque ad mortem, sed interim, ut sentio, revocatus ad mortem, atque hoc, ut me sentio, non diu (Epist. 307.) » Vitam quippe mortalem mortem magis quam vitam reputans, non a morte, sed ad mortem revocatum se sentiebat, cum ab exitu revocaretur, licet sentiens haud diutius differendum

Quod quidem sæpius erga eum providentia divina disposuit, in cuius manu placita erat anima illius, ut **1152** quoties eum grandis aliqua necessitas evocaret, vincente omnia animo, vires corporis non deessent, mirantibus qui videbant eum, et robustos homines in tolerantia superare. Expletis namque negotiis, velut in se rediens, multiplicibus infirmitatibus laborabat, ut vix viveret feriat, qui occupatus deficere nesciebat. Cui in opere novissimo tam manifeste, tamque magnifice divina adfuit virtus ut ex laboribus vires capere videretur. Accidit autem, cum in prædicti Mosellæ fluvii litore residentibus hinc inde paribus mediator fidelis rogaret quæ ad pacem erant, ut pars altera, ex tanta siquidem hostium strage ferocior, quod exigebatur, obstinata animositate renueret. Subito denique tanquam agitati furis discesserunt, Virum Dei insalutatam, solam vero cæteris omnibus relinquentes desperationem pacis. Nec sane ex contemptu aliquo, sed ex motu reverentiæ ejus iniere fugam: siquidem verebantur, ne præsentium mentes, quamlibet improbas, facile flecteret; minus considerantes quid ille per spiritum nusquam absentem posset etiam in absentes. Jam conventus in magno turbine solvebatur, sola utrinque meditabantur arma, sola inibat consilia malignandi, cum Vir sanctus eos qui secum venerant consolatus fratres: « Ne turbemini, inquit; licet enim per multas difficultates, omnino tamen pax desiderata proveniet. » Quibus etiam unde id nosset innotuit, dicens: « Videbar mihi per nocturnum soporem Missam celebrare solemnem. Cumque, expleta paulo minus oratione prima, recorderar angelicum ex more canticum, id est *Gloria in excelsis Deo*, præcedere debuisse, erubui, et quod oblitus omiseram canticum inchoans, vobiscum pariter ad finem usque complevi. » Jam medium noctis transierat, cum Vir sanctus de prædictorum poenitudine principum legatione suscepta, jucunde satis conversus ad suos. « Agnoscite, ait, promissæ nobis canendæ Gloriæ et cantici pacis præparationem. Interim ergo partibus convocatis, per dies aliquot de pace tractatum est, et ob maximas difficultates occurrentes utrinque sæpius desperatum, nisi quod omnes jam consolabatur, quæ omnibus innotuerat, Abbatis sancti tam certa de reformanda pace promissio. Nec parum

A ipsa dilatio profuit, his præsertim qui variis incommodis laborantes remedia consequantur in carne, seu etiam qui videntes ædificabantur in fide. Tantus enim concursus erat, ut multitudine pariter atque importunitate sua ipsum quoque negotium componendæ pacis pene desperabiliter impedirent: donec quæsita tandem in medio flumine insula, partis utriusque primarii in naviculis accesserunt; ubi compositis omnibus secundum quod fidelis arbiter definivit, datis sibi invicem dextris reconciliati sunt in osculo pacis.

B 5. Inter omnes sane quas per manum servi sui ibidem præstitit Dominus sanitates, celeberrima fuit cujusdam curatio mulieris. Hæc ab annis octo pessima ægritudine laborabat, vehementi tremore et validis motibus universa pariter membra concutens. Cum autem videretur gravioribus ortis difficultatibus propemodum excidisse spes pacis, Domino disponente venit mulier ita tremens, nec minus horribilis quam miserabilis, et omnes pariter ad spectaculum convenerunt. Orante denique Dei Famulo, sub oculis omnium paulatim concussione sedata, perfectam adeptam est protinus sospitatem. Quæ res in tantam admirationem etiam durissimos quosque permovit, ut percutientes pectora sua, per horam fere dimidiam cum lacrymis acclamarent. Tantus denique factus est impetus et concursus proci dentium et deosculantium Viri Dei sacra vestigia, ut propemodum comprimeretur, donec tollentes eum fratres, et imponentes in naviculam a terra modice subduxerunt. Cumque accedentes ad se principes, ut cœperat, pro pace rogaret, suspirantes dicebant: « Oportet nos libenter eum audire quem, ut ipsi cernimus, Deus diligit et exaudit: et audito eo multa facere, pro quo tanta faciat Deus in oculis nostris, » Quibus ille (ut semper cautus erat competenter hujusmodi gloriam declinare). « Non propter me, inquit, sed propter vos facit. »

D 6. Simili quoque miraculo et in simili opportunitate, ipsa etiam die Metensium animos Dominus inclinavit **1153** ad pacem. Ingressus enim Sanctus Metensium civitatem, episcopum simul et populum ad ea quæ pacis erant, vehementer urgebat. Graviter autem urebat illos vulnus acceptum: quibus enim valide satis reponere cogitaverant, secus quam velent, remittere cogebantur. In ipsa hora oblata est ei mulier paralytica, de civitate eadem: cui manus imponens, et orans, dignatus est palliolum quoque proprium, quo utebatur ipse, superextendere ei, tenendumque episcopo tradere prope astanti, et sub eodem velamine debilia tangere membra. Expleta autem oratione et benedictione data, erexit illam: omnibusque mirantibus, per medium illorum incolumis ibat, quam attulerant in grabato. In flumine quoque Mosella, dum ob intolerabilem concurrentium multitudinem Vir beatus navicula veheretur, unus ex his qui curari desiderabant, cæcus clamabat in littore, obsecrans ut duceretur ad eum. Cumque ille jam pertransiret, audiens homo navigantem post

eum in navicula altera piscatorem, diffibulatam protinus chlamydem, qua erat opertus, porrigens dabat illi, ut in navicula reciperetur. Factum est: et ut pervenit ad Sanctum, juxta suae fidei magnitudinem magna velocitate sub manu ejus visu recepto, miratus clamabat videre se colles, videre homines, videre arbores, et cætera universa.

7. Paucis ab eodem loco milliariis distat cœnobium, quod Sancti-Benedicti nomine vocant; ubi puer claudus, et a renibus infra omni prorsus membrorum destitutus officio, solis ad movendum manibus utebatur et renibus, pedes emortuos post se trahens: quem ex Burgundiæ partibus pater adventum ante annos quatuor ibi relinquerat, et extunc fratrum eleemosynis alebatur. Itaque cum beati Patris adventum, et virtutes Dominus operabatur in ipso, per omnem circa provinciam celebris fama vulgaret; impositum plaustro eundem puerum fratres prædicti cœnobii adduxerunt ad eum, rogantes ut solita pietate misero subveniret. Acquivit, imposuit manus, oravit, et eadem hora sanum reddidit, firmiter stantem, firmiter ambulantem. Denique, sicut ab ejusdem loci abbate nuper accepimus, usque hodie fratrum peora idem puer incolumis sequitur et custodit; et si quis desiderat scire, Joannes est nomen ejus. Aliter etiam claudus, in ejusdem monasterii vicinia degens, eodem tempore ad prædicti Patris sancti benedictionem sanatus est, et gressum recepit. Sed et prope Leucorum urbem, loco cui nomen est Gundervilla, idem vir Dei feminam cæcam illuminavit sub oculis plurimorum, qui de tota confluerant regione. Cæterum nimis difficile, aut omnimodis impossibile foret, itineris illius magnalia universa complecti. Sed neque propositi nostri est ejusmodi modo prosequi signa, et narrandis virtutum operibus operam dare. Hic enim viarum tuarum, Pater dulcissime, finis beatus, et hic labor ultimus fuit. In hoc opere non minus utili quam difficili, nec minus desperatæ, quam necessariæ pacis, labores tuos gloriose complevit, qui magnifice semper honestavit te in laboribus tuis, te in suo nomine, et nomen suum in te glorificans, Rex gloriæ Dominus Deus tuus.

CAPUT II.

De Felicissima, sed fratribus tristissima, beati Viri morte.

8. Ut expleta Metensium reconciliatione, et provincie illi pace reddita, Abbas sanctus ad monasterium rediit, gravi admodum jam jamque deficientis incommodo corporis occupatus, in tanta animi suavitate, et dulcedine spiritus quotidie propinquabat ad exitum, ac si in portu navigans paulatim vela deponeret. Evidenter quoque fratribus alebat: « Hæc sunt verba quæ loquebar ad vos, cum præterita hieme ægrotarem, non vobis esse quod adhuc timeretis: æstate proxima imminere (me mihi credere) hujus corporis dissolutionem. » At quam evidentem proprio didicimus experimento, quod de sanctis Apostolis Evangelia sacra testantur, **1154**

A quod dum suam illis prædiceret Dominus passionem erat verbum absconditum ab eis, et capere non valebant. Nimirum quod tam vehementer horrebat animus, minus facile persuadebatur ut crederet, præsertim cum et ipse compatiens filiis ejusmodi verba, supprimeret. Cæterum factis quodammodo clamans, « Opera consummavi, quæ dedit mihi Pater ut facerem, » magis ac magis actus omittere, affectus retrahere, et sacrorum funibus desideriorum sedula intentione præjectis, vicino jam littori hæere firmius, et commodius applicare. Denique cum venerabilis antistes sedis Lingonicæ Godefridus de quibusdam eum sollicitaret agendis, et minus apponere animum miraretur: « Ne mireris, inquit, ego enim jam non sum de hoc mundo. »

B 9. Videns autem Pater sanctus, compassionis et misericordiæ visceribus affluens, charissimos sibi fratres, et filios miserabiliter admodum tabescentes et arescentes præ timore et exspectatione supervenientis desolationis gravissimæ et lamentabilis orbitatis dulcissimis eos consolationibus refovebat: et monens eos in tuto divinæ elementie sinu spei fideique suæ anchoram per inconvulsibilem charitatem firmius radicare, se quoque promittebat nec post mortem aliquando defuturum. Propensius autem, quam noster queat exprimere sermo, rogans obsecransque per multas lacrymas, timorem Dei et sacræ puritatis, ac totius perfectionis amorem nostris imprimere animis conabatur. Sed et monebat, et cum lacrymis obstestabatur, ut si quid forte virtutis, aut exemplo nobis aliquando commendasset aut verbo, id æmularemur, id firmiter teneremus, et proficeremus in eo; aliis quidem verbis, sed eodem spiritu illud apostolicum loquens: *Rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo vos oporteat ambulare et placere Deo per omnia, sic et ambuletis, ut abundetis magis (I Thess. iv, 1).* Atque utinam tam efficaciter persuaserit quam affectuose suasit, Modum autem ægritudinis ejus si quis nosse desiderat, exstat epistola, quam ad amicum quemdam paucissimis diebus ante sacram a nobis profectionem suam ipse dictavit: quam nimirum huic nostræ narrationi duximus inserendam, quod videlicet etsi aliena quoque de ipso, amplius tamen nos ipsius de se verba delectent.

D 10. « Suscepimus charitatem vestram in charitate, et non in voluptate. Quæ enim voluptas, ubi sibi totum vindicat amaritudo? nisi quod solum nihil comedere, utcumque delectabile est. Somnus recessit a me, ne vel beneficio sopiti sensus dolor unquam recedat. Defectus stomachi fere totum quod patior est. Frequenter in die et nocte exigit confortari modico admodum qualicumque liquore: nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum quod dignatur admittere, non sine gravi molestia sumit; sed timet graviorem, si sese vacuum omnino dimiserit. Quod si plusculum quid interdum admittere acquiescat, id gravissimum. Pedes et crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere

solet. Et in his omnibus, ne quid lateat amicum de statu amici sollicitum, secundum interiorem hominem (ut minus sapiens dico) spiritus promptus est in carne infirma. Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempestivum jam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire volis calcaneum nudum meritis: ut is qui insidiatur, invenire non possit unde figat dentem, et vulnus infligat. Hæc ipse dictavi, sic me habens, ut per notam vobis manum agnoscatis affectum (88). »

11. Hoc exemplar epistolæ, quam, ut nos diximus, et ipsa quoque ejus verba declarant, Pater sanctus exitu jam imminente dictavit. Ex cujus tenore posset nimirum diligens lector sacrum illius vel ex parte aliqua pectus agnoscere, quanta illi in ipsa sui ruina corporis tranquillitas mentis, serenitas animi, suavitas spiritus, quanta sub fiducia culmine radix humilitatis. Sed nostrum sub tam gravi articulo inconsolabilem luctum aliquatenus illi aestimare, ac sibi exhibere licebit, pallidasque, si pie senserit, turmas imaginabitur filiorum, exterminatas facies, vultus exsanguis, genas lacrymis sordentes, suspiria quoque pectorum ac singultus. [Quis enim **1155** apud nos erat tumultus cogitationum, quod naufragium animorum, cum thesaurus tam amabilis raperetur a nobis, et presentibus, et cernentibus, quia nec spes esset retinendi, nec facultas aliqua commeandi? Pater erat: sed qualis pater qui videbatur abire? Nobis quodammodo proprius, verius tamen toti mundo communis. Erat enim omnium et honorum gloriatio, et malignantium metus, ut de eo non incongrue videretur esse psallendum: *Videbunt recti, et lætabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum (Psal. cvi, 42).* Quo præsentem, sanctitas omnis jucundabatur, præsumptio frenabatur, duritia compungebatur. Quo præsentem celebris quisque conventus velut quodam sole resplenduit; absente, caliginosus et quodammodo mutus apparuit. Quam devote, quam pie singulis nostrum et tunc hodieque clamandum: *Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus! (IV Reg. ii, 12).* Tu fluctuantium portus, clypeus oppressorum; et, ut de seipso beatus Job loquitur, cæco fuisti oculus, et pes claudus (*Job. xxix, 15*). Tu perfectionis exemplar, virtutis forma, speculum sanctitatis. Tu gloria Israel, tu lætitia Jerusalem, tu delicie tui sæculi, et unicum tui temporis decus; oliva fructifera, vitis abundans, palma florida, cedrus multiplicata, platanus exaltata. Vas electionis, et vas honoris in domo Dei; vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso, fide et sanctitate solidum, et variis charismatibus tanquam gemmis ornatum. Tu Ecclesie sanctæ fortissima splendidissimaque columna, tu vehemens tuba Dei, tu dulcissimum sancti Spiritus organum, pios oblectans, desides excitans, debiles portans. Cujus medicinalis manus et lingua morbos utraque curabat: illa, corporum;

(88) Epistola hæc ordine 310, in quibusdam mss. ita inscribitur: *Epistola ad Arnoldum Bonæ-Vallis*

A ista, animorum. Cujus erat simplex habitus, simplex vultus, dulcis facies, gratiosus aspectus. Cujus denique vita fructuosa, cujus mors pretiosa: quia tibi quoque Christus vivere fuit, et mori lucrum. Quod si nobis alterum fortassis utilius, sed alterum multo melius tibi. Et quod tibi tam commodum, nobis, si pie sapimus, non potest non esse jucundum. Cæterum etsi pium est congaudere tibi, Pater bone, qui in gaudium Domini tui feliciter introisti: non tamen impium super nos ipsos flere, quos nimirum, abeunte te, solito gravius horror geminus circumsepsit, dum nobis est vita tædio, mors timori. Et si pium congaudere tibi qui beato transitu mortis ad torrentem voluptatis, quem ardentem sitiebas, accessisti: nostram tamen vicem dolere non impium, quibus et vivendi omnis pariter est sublata suavitas, et moriendi necdum collata securitas. Et si pia tibi impenditur gratulatio, felix anima, quæ in plenitudine lucis exsultat: non tamen impia super nos assumitur lamentatio, qui relecti sumus; post mirificam, in qua hactenus exultavimus, claritatem, horrere magis tenebras subintrantes; post aurea, quæ paulo ante vidimus, sæcula gravius ferre hoc plane ferreum, quod successit. Sed reflectamus stylum ad ordinem narrationis, et Patroni, quibus possumus votis, exitum prosequamur, exitum nobis lugubrem, nam illi potius triumphalem.]

12. Igitur ante Patris hujus excessum accedentes ad eum filii, quos per Evangelium ipse genuerat, piissimum ejus animum lacrymabili supplicatione pulsabant, et hæc atque hujusmodi loquebantur: « Nunquid non misereris huic monasterio, Pater? nunquid non compateris nobis, quos tanto pietatis affectu maternis lactasti uberibus, paterna consolatione fovisti? Quomodo sic exponis labores tuos, quos in loco hoc laborasti? quomodo tam dilectos hactenus filios sic relinquis? » Tunc vero flens ipse eum flentibus, et columbinos oculos in cælum porrigens, ac mente tota apostolicum illum concipiens spiritum, testabatur coaretatum se e duobus, et quid eligeret ignorantem (*Philipp. i, 23, 22*), et divinæ totum tribuere arbitrio pietatis. Nam et hinc paterna illum urgebat charitas, filiorum votis annuere, ut maneret: et inde trahebat Christi desiderium, ut migraret. Cui tamen ab olim jam atque altius radicata in pectore ejus humilitas persuaserat, ut ex intimo cordis affectu servum inutilem se esse diceret, et arborem sterilem reputaret, ex cujus vita nullus sibi **1156** fructus, nullus alteri cuiquam proveniret. Nam et solitus erat in familiari colloquutione fateri, vix credere se hominibus, quod sic eum sibi utilem crederent ut dicebant. Sed nec parvum sese in suis super hoc cogitationibus perhibebat aliquando sustinuisse conflictum, quod nec tam veraces homines fallere velle, nec tam prudentes falli posse verisimile videretur, cum alterutrum *abbatem, qui ei quædam ænia mittens, de ejus valetudine sollicitè fuerat sciscitatus.*

excusare non posset. Quem enim totus mirabatur Orbis, solus ipse (quod erat mirabilis) non videbat suæ videlicet operationis opinionisve splendorem, sicut ille quondam vir simplex et rectus, nec solem cum fulgeret, nec lunam incedentem clare vidisse se memorabat (*Job xxxi, 26*).

13. Novissime cum exterioris habitaculi undique jam soluta compago, desideranti animæ liberum præstaret egressum, magnus ille dies illuxit, quo perpetuus illi ortus est dies, ad cuius exitum vicini episcopi cum abbatum et fratrum copiosa multitudine fuerant congregati. Hora autem diei pene tertia singularis lucerna suæ generationis, sanctus ac vere beatus abbas Bernardus, a corpore mortis in terram viventium feliciter Christo duce magravit, ex filiorum circumstantium et inter graves singultus ac lacrymas uberes utcumque psallentium choro ad multorum, quos ipse præmiserat, cœtus transiens lætabundos, ad sanctorum cuneos gratulantes, ad obvia agmina angelorum. Felix anima, quam sic levabant excelsa suorum privilegia meritorum, quam sic pia filiorum prosequerantur inferiorum vota; sic quoque superiorum desideria sacra trahebant! Felix illi et vere serenus dies, quo plenus ei meridies Christus illuxit: dies cunctis vitæ suæ diebus tantis ab eo exspectatus desideris, expetitus suspiriis, frequentatus meditationibus, orationibus præmunitus! Felix transitus de labore ad refrigerium, de expectatione ad præmium, de agone ad bravium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad Patrem! De quo etiam transitu ejus multa novimus apparuisse quam multis, et quidem non indigna relatu, sed difficile nimis singula vestigare, et scribere omnia nimis longum. Nam et usque modo multifarie multisque modis paternus erga filios amor, vere etiam nunc, imo nunc verius vivens et vicens, crebris revelationibus eorum dignatur solari lacrymas, relevare mœstitiam, ut quo dulcius ei congaudent, minus anxie doleant sibi. Si qua tamen ex his, minus prolixam desiderantia narrationem, lector scire desiderat, proprio magis et novissimo credimus reservanda capitulo.

14. Iterum cætera prosequentes, quanta possumus violentia animos avertamus ab illo tam gravi gemitu et rugitu, quo nimirum grex miserabilis, pastore migrante, personuit. Parcamus paginæ, et quantum possumus, stringamus oculos, palpebras complodamus adversus lacrymas, quibus in illo suæ claritatis abscessu valis nostra fluebat, Ecclesiæ protinus universæ calicem sui propinatura mœroris, cui hactenus consueverat stillare dulcedinem, gaudia fundere, fluere consolationes. Dum fidelis

(89) Eadem apud Claram-Vallem, uti et apud Cistercium vigeat disciplina, quæ olim apud Cistercienses communis fuit, excepto festo Dedicationis, quo mulieribus concessus est in Ordinis ecclesia aditus.

(90) Nempe tam per se, quam per abbatias Claræ-Valli subjectas. Nam Bernardus per se tantum

minister et sacerdos Altissimi feliciter ingreditur in locum tabernaculi admirabilis, ad altare Dei sacram ei et acceptabilem hostiam sui spiritus oblaturus; corpus etiam rite paratum et ornatum sacerdotalibus indumentis, oratorio beatæ Dei Genitricis infertur. Plurima quoque nobilium et ignobilium de vicinis quibusque locis gemebunda protinus turba convenit, et vallem totam ploratus et ululatus multus implebat. Amarius tamen pro foribus monasterii lamentabatur sexus miserabilior mulierum, quod accedentibus ad beata vestigia viris, monastici Ordinis disciplina (89) inexorabiliter eis etiam tunc negaret ingressum. Biduo mansit in medio gregis pastor exstinctus, dum pristina illa dulcissimi gratia vultus nil minorata, sed aucta, magis omnium in se figeret oculos, animos traheret, sepeliret affectus. Crescebat autem supra modum ruens undique populi multitudo, et intolerabilis jam fiebat impetus concurrentium, ac desiderabiles tenentium pedes, osculantium manus, applicantium panes, baltheos, **1157** nummos, et alia quæque servanda sibi pro benedictione, et variis necessitatibus profutura. Maxime tamen parati in diem tertium solemnem per loca proxima præstolabantur reponendi sacri corporis ejus horam, copiosius undique conventuri. Nam et secunda die tantus circa meridiem populus fuerat congregatus, et tanto pietatis zelo stipati undique sacrum corpus obsederant, ut nulla pene episcopis reverentia, nulla fratribus haberetur. Unde veriti ne quid simile aut forte gravius accideret die tertia, præoccupantes horam, et mane divina ex more Sacrificia consummantes, sicut et biduum jam in celebratione Missarum et jugi fecerant psalmodia, purissimum illud balsamum suo vasculo commiserunt, in lapide reponentes lapidem pretiosum, optimam margaritam.

15. Consummatis ergo feliciter vitæ suæ diebus et annis circiter sexaginta tribus expletis, dilectus Domini Bernardus, Claræ-Vallensis cœnobii primus abbas, aliorum quoque amplius quam centum sexaginta monasteriorum pater (90), decimo tertio kalendas septembris inter filiorum manus obdormivit in Christo. Sepultus est autem undecimo kalendas ejusdem mensis ante sanctum altare beatæ Virginis matris, cujus fuerat devotissimus ipse sacerdos. Sed et pectori ejus ipso tumulo capsula superposita est, in qua beati Thaddæi apostoli reliquiæ continentur, quas eodem anno ab Jerosolyma sibi missas, suo jusserat corpori superponi: eo utique fidei et devotionis intuitu, ut eidem apostolo in die communis resurrectionis adhæreat. [Prius tamen, quam sacratissimum illud corpus tumulo redderetur, unus e fratribus, qui ex multis annis caduco morbo septuaginta duo circiter monasteria excitavit vel adoptavit, nempe in Gallia 35, in Hispania 11, in Belgio 6, in Anglia 5, totidem in Sabaudia et in Hibernia, in Italia 4, in Germania duo, duo item in Suecica, ac demum unum et alterum in Hungaria et Dania, ex Chronologia nostra.

graviter laboravit, plena fide opem flagitaturus accessit. Quem nunc usque superstitem novimus, et nihil unquam ex ea hora prædictæ infelicitatis expertum.]

16. Facta sunt hæc eodem anno quo beatus Papa noster Eugenius tertius, ejusdem patris sancti in conversatione sancta filius, ab hac luce, vel ab hac magis caligine migravit ad lucem, cujus merita in ipsa cui insigniter præfuit urbe miraculis pluribus illustrata coruscant: successore ejus Anastasio Romanæ Ecclesiæ præsertim, regnantibus autem in Romanorum imperio Friderico illustri; in Francorum regno piissimo rege Ludovico, filio Ludovici; principatum Ecclesiæ universæ ac totius creaturæ visibilis et invisibilis monarchiam tenente Dei Filio Jesu Christo, anno ab Incarnatione sua millesimo centesimo quinquagesimo tertio, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT III.

De revelationibus diversis post sancti Patris obitum factis.

17. Jam de supra memoratis revelationibus pauca dicturi, ab eo sumamus initium quod prædictum est anno septimo ante quam fieret. Erant duo fratres in monasterio, de sacra beati Patris vita et felicibus ejus actibus colloquentes: quorum alter ab ineunte adolescentia educatus ibidem, ad alterum ait: « Nosti quot annos sit victurus hic beatissimus Pater noster? » Cui ille: « Nescio, » inquit. Et alter: « Ego, ait, novi eum sex aut septem annos adhuc in carne victurum. » Hoc autem unde sciret, minime jam scire possumus, quia nec tum indicavit, et ante Patrem sanctum ipse decessit. Porro alterius hodieque superstitis relatione hoc verbum nobis innotuit, qui tunc magis miratus est se audisse, quando ut ab olim audierat, ita vidit. Talis vero ille est, de cujus testimonio nec nos ambigimus, nec cuilibet alteri qui eum noverit, credimus dubitandum. Neque id solum, sed quod non minori dignum admiratione videtur, nomen quoque et personam successoris ipsius, indicante sibi eodem fratre, extunc innotuisse testatur. Manifeste enim eadem hora frater ille prædixit, « quia dominus Robertus, qui hodie abbas est de Dunis, post hunc beatum Patrem abbas futurus est Claræ-Vallis. » Nam quod disjunctive sex vel septem annos victurum dicebat, ad **1158** hoc pertinuisse videtur, quod inventus sit terminus idem ultra sextum annum, intra septimum tamen.

18. Prope erat jam tempus, et festinabat Pater sanctus ad metam. Infirmabatur enim, sicut in hujus libelli principio memoravimus, adeo ut illa jam infirmitate ipsius perfici virtus, jam imminere exitus videretur. Interea fratres instare supplicationibus et obsecrationibus, quibus poterant, apud Deum. Unde etiam Sanctus ipse cognoscens eorum precibus desiderium suum differri, cum aliquanto melius secundum corpus habere cœpisset,

PATROL. CLXXXV.

congregatis fratribus hæc eadem verba locutus est: « Quid tenetis miserum hominem? Fortiores estis, et invaluitis. Parcite, quæso, parcite, sinite me abire. » Prius tamen cum in summo periculo et timore fratres omnes in orationibus humiliarent animas suas, uni eorum visio talis apparuit. Occurrebat cum multa exultatione Viro Dei extra monasterii claustra innumerabilis multitudo. In qua tamen processione, solos quatuor præuntes idem frater qui videbat agnovit: magnum illum dilectorem ejus atque dilectum, cujus et ipse in libro quarto de Consideratione cum laude meminit. Gaufridum episcopum Carnotensem; Humbertum quoque, qui Igniacensis cœnobii fuerat primus abbas; et duos ejus fratres germanos, Guidonem scilicet et Gerardum. Exceptus itaque reverenter, et post osculum pacis amica diu colloquia miscens Pater sanctus ac beatus, cum his quatuor stabat, exspectante seorsum multitudine cæterorum. Novissime salutantes eum prædicti viri, ex hoc sibi jam redeundum esse dicebant. Tum vero expalluit ille, et circumfusa sibi mœsistia internum declarans animi dolorem: « Quid ergo, ait, sine me vultis abire? » Et illi: « Non potest adhuc tuo, et nostro satisfieri desiderio, donec veniat tempus novorum. » Dicebant autem tempus novorum, quo fruges novæ colligerentur, sicut evidenter postmodum probavit eventus, dum in Augusto mense decessit. Mane ergo frater ille, cui hoc ostensum fuerat, consolatus est cæteros, velut jam imminuentem Patris obitum formidantes, et quod viderat et audierat indicavit. Adhuc autem hiems erat.

19. Eodem tempore altera quoque visio prioris confirmatio fuit: nisi quod evidentius jam utriusque completa veritas probat, quam evidenter in utraque quod futurum erat, Dominus revelavit. Videbat enim frater quidam, et ecce parabat Vir beatissimus ascendere Jerosolymam, jamque ipso in procinetu itinervis erat. Ad quem venerabilis Odo, qui a primis fere annis strenue satis et laudabiliter conversatus in monasterio, absentium consueverat præpositorum supplere vices, reverenter accedens, dicebat se præcessurum. Cujus visionis sic ostensa est veritas, ut prædictus vir Deo dignus ad cœlestem Jerusalem, ubi vere visio pacis, parantem jam egredi, et paulo post secuturum Patrem sanctum, felici functus legatione præiret.

20. Sed et abbas quidam, satis ei habitatione vicinus, nec minus affectione devotus, paucis diebus ante felicissimum Patris hujus excessum, videbat eum pretiosissimis ornatum sacerdotalibus indumentis, et excellenti perfusum gloria, cum ingenti solemnitate ad altare deduci. Ad cuius introitum ecclesia magna magnis resolutans vocibus conclamabat: *Puer natus est nobis* (*Isai. ix, 6*). Vere etenim puer ipse erat mitis et humilis corde; et, sicut parvulus, accipiens regnum Dei: in cuius merito gratulabunda natali angelica multitudo, et